EXERCITATIONES DVÆ:

QVARVM PRIOR EXOTICORVM SCRIPTORVM VSVM IN THEOLOGIA LEGITIMVM: POSTERIOR ARTIS POËTICÆ ET VERSIFICATORIAE PRAESTANTIAM OSTENDIT.

Cum Appendiculâ ex primarij nominis Patribus Græcis & Latinis.

AVTHORE
Calebo Dalechampio Sedanensi, S. Theologiæ Studioso & in Artibus Magistro.

Tertull. lib. de Idololatr. c. 10.
Quomodo repudiamus sæcularia studia, sine quibus divina non possunt?

Hom. Iliad. γ.
Οὐκ ἀπόβλητα θεῶν ἐρικυδέα δῶρα.

Synesius epist. 49.
Ποιητικὴ γὰρ ἔδωκεν ὁ Θεὸς ταμιεύειν τὴν εὐκλειαν.

LONDINI,
Excusum per *Gulielmum Jones*.
M. DC. XXIIII.

BIBLIOTHECA·BODLEIANA·

REVERENDO ET SAPIENTI VIRO, DOMINO DOCTORI PASKIO

Procancellario Ampliſſimo, & Clarenſis Aulæ Præfecto Digniſſimo: Reliquis Venerandis Capitibus & Doctoribus, Totique Inclyto Senatui celeberrimæ Cantabrigienſis Academiæ.

Ampliſſime Domine Procancellarie,
Reuerendi Doctores,
Venerabiles Magiſtri.

MEmoriæ prodidit grauiſſimus Author, olim Sophiſtam quendam librum à ſe compoſitum, publicè, vt tunc moris erat, recitare volentem, ab Antalcidâ Lacedæmonio rogatum fuiſſe, quodnam eſſet illius argumentum: qui cùm *De laudibus Herculis* reſpondiſſet; *at enim*, inquit Laco, *quis eum vituperat?* Ridiculum videlicet arbitrabatur, eius rei, quæ apud omnes extra controuerſiam & in confeſſo erat, probationem ſuſcipere, ac de lumine Soli fœnerando laborare. Salſo huiuſmodi Plutar. Apophtheg. Lacon.

iusmodi scommate vel me, vel quenquam alium de dignitate humaniorum literarum tractare instituentem, minimè dignum esse norunt omnes ijsdem imbuti. Quàm multi enim olim reperti sunt, hodieq; reperiuntur qui cũ in genere τὴν ἔξωθεν σοφίαν, tum speciatim ac præ alijs disciplinis Poëticam, inutilem, pernicioſam, & homine Christiano indignam vocarunt & vocant? Quàm non pauci, qui tametsi cum Ruffino (acerrimo vt in aliis, sic & in hac quæstione S. Hieronymi aduersario) gentilium libros etiam Scripturæ discipulis vtiles esse fateantur vltrò: tamen eos in Theologiâ, quantumuis parcè, & quidem apud eruditos, citare magnum nefas putant, & loquente Dominâ perpetuum ancillis silentium imperant? Ad vtrorumque sententiam refellendam operæ precium me facturum duxi, si quæ sparsim & variè à variis super hoc argumento dicta sunt, colligerem, atque vno velut fasce quàm accuratissimè simul & breuissimè possem, colligarem. Vt igitur apes ex omnigenis floribus suum mel conficiunt, sic ex multiplicibus authoribus sequentes

Vide Hieron. lib. 1. Apolog. adu. Ruffin. ad finem.

quentes Exercitationes adornaui : quarum alterâ Scriptores Exoticos linguâ calamoque in Theologiâ citare non esse semper illicitum euinco : alterâ Poëticam & Versificationem toties oppugnatam coniunctim propugno. Licèt enim non tam arctè necessarióue inter se copulentur, quin ab inuicem separari possint, prout tum ex hoc vulgato versu,

Composuisse pedes non est fecisse poëma,

Tum etiam ex eo constat quòd Empedocles Philosophiam, teste Philosopho, carmine tractauerit, & Ion contrà, Plutarcho referente, plurima poëmata prosa oratione conscripserit : tamen Poëtæ ferè omnes *machinati sunt ad voluptatem versum, vt verborum numero, delectatione vincerent aurium satietatem.* Vtrobique autem hæc duo pro virili præstare conatus sum ; Vnum, τὸ μέτριον τῦ λόγυ seruare, seu

De Poetica c. 1. De Fortuna Romanorum initio.

Cic. 3. de Oratore.

——mittere longas
Ambages, & summa sequi fastigia rerum.

Quippe qui τὴν πολυγραφίαν καὶ πολυῤῥαφίαν, & luxuriantem istam orationis syluam, vt

Tremell. & Iun. præfat in Iosuam.

vanitatis aut mendaciorũ comitem frequentem, à castigatissimi iudicij Theologis viderim traductam; Alterũ, in citandis testimonijs delectũ habere, nec aduocare testes nisi peridoneos atque locupletes. Nam *vt in vno aliquo telo aut gladio multùm interest à quâ manu veniat: sic in sententiâ vt penetret, valdè facit robustæ alicuius & receptæ authoritatis pondus.* Ad obiectiones autem τῶν ἀνεπιδιαθεμέτων quod attinet, palmarias & speciosiores duntaxat, easque non prolixè refutaui,

Lipsi præfat. in Politica. *Non vires ferri, sed ferientis agunt.* Auson. epigram. 5.

ἔλαττον γὰρ τὸ ψεῦδος ἐλέγχειν τῆ τ ἀληθειαν κρατύνειν.

minus cùm sit falsitatem redarguere, quàm stabilire veritatem.

Athenag de Resurrect. cornis ante medium.

Iam verò cur hanc opellam meam Inclyto Nomini Vestro, Spectatissimi Viri, consecrare, publicumque mei erga Vos cultus & obseruantiæ monumentum extare voluerim, causas habui iustissimas. Insolitum quippe vestrum in me fauorem insolito modo prædicandum, geminumque quo me nuper decorastis gradum, geminæ huius Exercitationis inscriptione quadantenus compensandum duxi. Nec enim debitæ Vobis gratitudinis specimen differre sustinui, donec aliquid maius atque perfectius à me prodire

prodire posset, ratus non minorem fore * celeritatis gratiam, quàm copiæ & vbertatis laudem. Accedit ipsius opusculi argumentum, quod eiusmodi est, vt Vobis solis in fidem ac clientelam tradi debuerit. Nam vt olim Cato iniquum censuit adigere aliquem ad vitæ suæ rationem reddendam coram ijs, inter quos non vixerit: sic ego indecorum putaui alios meis Thesibus Iudices ac Patronos deligere, quàm eos ipsos qui easdem verissimas esse non modò præ cæteris norunt, sed etiam verbo quotidianoque exemplo docent ac sanciunt. Cùmque vel ab extremis huius Regni oris, altera hæc Abela & Mater in Israël, de rebus grauissimis consuli soleat, indignum profectò fuerit istas leuioris momenti Diatribas, apud Vos conceptas & natas, alijs dijudicandas sistere; quæ si à Vobis, vel mediocriter, approbentur, ita consistunt, vt album aliorum calculum non requirant, nec atrum reformident.

Aspicite igitur serenâ fronte, Vestroque patrocinio, *Dignissimi Domini*, dignamini, obsecro, hoc qualecunque tam adamatæ Vobis

* Ὠκείᾳ χάριτι γλυκερώτερα, &c. Anthol. græca.

Χαλεπὸν ἐν ἄλλοις βεβιωκότα, ἐν ἄλλοις ἀπολογεῖσθαι. Plutar. in Catone maiore.

2 Sam. 20, 18, 19.

bis literaturæ patrocinium, ab eo ſine ambitione aut arrogantiâ ſuſceptum ac oblatũ, qui vt ad Reipublicæ ſalutem, & Eccleſiæ ædificationem, Veſtrum hoc Athenæum, verâ pietate, ὀρθοδοξίᾳ, omnique literarum genere, ſub nutricijs ac nutricibus Regibus & Reginis, vſque ad glorioſum *Ieſu Chriſti* aduentum floreat, ſuppliciter orat magnum illum Regem, qui habet *cor Regis in manu ſuâ & quocunque vult inclinat illud.*

Eſa. 49. 23.

Malac. 1. 14. Prouerb. 21. 1.

Dignitatum Veſtrarum
Studioſiſſimus

CALEBVS DALECHAMPIVS.

EXERCITATIO PRIOR: PROBANS

Licere Theologis in rebus Theologicis præclaras Ethnicorum sententias et historias adhibere, modò modus et ordo sedulò serventur, præsertim in demegorijs.

GLossemata, quibus Scripturam Sacram Rabbini contaminant, trium sunt generum: quædam enim blasphema et scelerata sunt, quædã inverecunda et obscœna, quædam denique ridicula duntaxat et inepta. Ad hanc postremam classem pertinet istud ipsorum commentum, quo fingunt exoticarum literarum vsum ac studium à *Spiritu Sancto*, locis *Ios.* 1. 8. *Psal* 1.2. *Ierem.*2.13. *Deut.*22.11. fidelibus interdictum esse. Nam ut legere est apud ipsorum Babylonicum *Talmudem, id est, omnium portentorum, nugacissimarumque nugarum farraginem ac cinnum, tredecim tomis circa* annũ Domini 508. concinnatũ, *Rabbi Ismael* cùm à sororis filio rogaretur num perlectis iam à se memoriæque mandatis literis sacris, deinceps aliquam operam in Græcanicâ sapientiâ ponere liceret; iussit eum dispicere, esseine hora aliqua quæ neque ad diem, neque ad noctem pertineret: eam enim solam, si ulla esset, fas

*In Aphorismis Patrum apud Masium comm. in Ios. 1.8 et Iorinum in Psal. 1. & in Ecclesiast. 12.12

*Kalendar Iudæorum apud Scalig. de emendat. temp. lib. 7. pag. 614.

esse alijs quã divinæ Legis studio impendere. At istis et consimilibus Scripturæ locis τὴν ἔξωθεν παιδείαν minim è damnari, sed tam stulta eorum depravatione Rabbinicam παιδίαν prodi, nulli opinor, non vident pueri, *nisi qui nondum ære lauantur.*

Iuuenal. sat. 2.

II. ETenim duo priora testimonia, quemadmodum et Annæ elogium, et *Pauli* præceptũ proverbialem locutionẽ continentia, qualem illud *Homericum*, νύκτας τε καὶ ἤματα πάντα, et Horatianũ

Nocturnâ versate manu, versate diurnâ,

per locum *Deut.* 17. 19. exponi debent: quę omnia, sicuti τὸ *semper* à Christo, et τὸ *indefinenter* ab Apostolo vsurpatum, cùm sint affirmatiua præcepta, *semper* quidem, sed non *ad semper* obligant, ut loquuntur Scholastici, adeóque de actu primo, non de secundo sunt accipienda. Significant enim assiduitatem tantam quanta commodè atque opportunè præstari possit, hoc est, quæ omnem prorsus negligentiam, ac multò magis etiam fastidium et satietatem excludat. Nunquam enim remittit pius de studio doctrinæ et pietatis, sicut hypocritæ qui ad tempus simulant cœlestis veritatis studium et ardorem, sed mox languescunt et deficiunt. Vel, *die & nocte*, id est, *tam in secundis rebus quàm in aduersis*, vt vult *Augustinus*: nam illas diei & noctis, lucis ac tenebrarũ appellatione frequenter designat Scriptura, quę & *quod affectum est curat, & quod integrum est conseruat*: cuius ope pius *in aduersitatibus* * *tolerat, in prosperitatibus temperat.* Locus verò *Ieremiæ* ab alijs Rabbinis eôdem detortus, non minùs est ἄτοπος διόνυσος. Siquidẽ per cisternas manifestò intel-

Luc. 2. 37. 1. Tim. 5. 5.

Luc. 18. 1. 1. Thess. 5. 17. *Thom. 1. 2. q. 71. art. 5. & q. 88. art. 2. & q. 100. art. 10. et 2. 2 q. 3. art. 2.*

Ad semper velle, non ad semper agere.

Ipsum desiderium tuum oratio tua est, et si continuum desiderium sit, continua oratio est. Augustin.

Basil. et August. Præfat. in psal.

* verba Aug. serm. 39. de tempore.

et

liguntur Idola gentiũ, quæ *vanitas* dicũtur versu 5. et *non prodesse* versibus 8. et 11. et horũ vtrumque c. 16. v. 19. et 1. *Sam.* 12. 21. Scopus itaque Spiritus Sancti non alius est eo loci, quàm vt ingrati animi et summę cæcitatis coarguat Iudæos, quòd Dei, apud quem *est fons vitæ*, imò qui ipse est fòns aquarum viventium, perpetuòque fluentium, cultum dereliquerint: Dei, inquam, à quo omnia bona semper illis proveniebant, vt aquæ ex fonte perenni, sectati verò sint Idola, existimantes boni quippiam ex illis sibi obventurũ, cùm tamen auxiliari non valeãt cultoribus suis. Locus deniq; *Deuteronomij* parum ad Rabbinicam facit *Andromachen*: nam interdictum illud de vestimento variè commixto, non eò trahendum est vt omnem gentilium literarum cum sacris societatem prohibeat, sed potiùs vt Israëlitas ab Ægyptijs, Cananæis, et Babylonijs, qui hoc vestis genus ostentationis causâ frequentabant, distinguat. Nolebat enim Deus vllam inter *genus electum*, *regale Sacerdotium*, *gentem sanctam*, *populum acquisitũ*, et execrandos idololatras intercedere similitudinem. Adhęc, [a] *Theologia Symbolica non est argumentativa*, nec probant allegoriæ quas aliquis interpres de suo affert, sed illæ demum quas ipsa Scriptura nobis offert. Quòd si allegorijs indulgendũ, concinnior est allegoria [b] *Theodoreti*, [c] aliorũque docentium prohiberi vestem ex lino et lanâ contextã, vt intelligamus contrarias operationes, et vitiosam creaturas confundendi ac miscendi libidinem Creatori displicere: vel tropologia *Gregorij*,

Hieron. Calvin. Castro in loc. Psal 36. 10.

Babinghton in Levit. 19. 19. Iunius in Deut. 22. 11.

1 Pet. 2. 9. Leuit. 18. 3.

a Thõ. opusc. 70. μεταφοραῖς οὐ διαλεκτίον. *Clem. Alex.* *Vide Hieron. in* Math. 13. 33. *Quis non impudentissime nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat & manifesta testimonia quorum lumine illustrentur obscura?* August. epist. 48. *Vt pictura est ornatus quidam domus iam extructæ: ita allegoria est lux quædam orationis, vel causæ alicuius iam aliunde probatæ.* Luther in Gal. 4. 24. b Theodor. quæst. 27. in Levitic. c Calvin. et Iunius in Deu 22. 11.

more suo moraliter hoc interdictum exponentis de hypocrisi, quæ duabus constat partibus, simulatione boni et dissimulatione mali; *lanâ simplicitatis externa, lino subtilitatis interna.*

Greg. moral. lib. 8. cap. 31.

III. ISTis ergo Scripturæ testimonijs sic à corruptelâ vindicatis, Thesim nostrã huic Diatribæ præfixam, his argumentis cum ab authoritate divinâ & humanâ, tum ab vtili ductis cõfirmamus

IV. PRimùm igitur [a] *omnia vestra sunt, omnia probate, omnia pura puris, omnia omnibus factus sum* inquit Apostolus: qui non solùm à [b] naturâ & humanâ ratione ac consuetudine argumẽtari, tres [c] loquẽdi formulas ab Heraclito mutuari, nonnullaq; à solennibus gentiliũ [d] ludis & certaminibus ad Christianã militiam transferre non erubuit: verùm etiam ex Arato hemistichiũ, ex Menandro senarium in Euripide quoq; reperiendũ, ex Epimenide Cretensi hexametrũ etiã a Callimacho repetitũ, suis divinissimis ac planè sacrosanctis monumentis inserere, imò et pecuinas Epicureorum & profanorum hominũ voces μιαντικὰς, e post Esaiam, ingerere non dubitavit. *Act.* 17.28. 1. *Cor.* 15. 33. *Tit.* 1.12. Quæ exotica testimonia *per Apostolum Sanctificata* vocat [f] Tertullianus, Latinorum Patrum, saltem qui à Christo ad Constantinum vsque claruerunt, [g] longè doctissimus.

a 1. Cor. 3. 21. 22. 1. Thess. 5. 21. Tit. 1. 15. 1. Gor. 9. 22.

b 1. Cor. 11. 14. Gal. 3. 13.

c οὐ λαμὼν παρὰ τῶν ἄλλων, ἀλλὰ τὰ δικαιοσύνης φύσεως ἔκφυσις. *Basil. Hexam. hom.* 9.

d *Phrases quibus Paulus suum cum bestijs certamen, suam innocentiam, ac nostræ cõversationis præmium in Cælo repositũ exprimit.* 1. Cor. 15. 32. 2 Cor. 7. 2. Philip. 3. 20. *desumsit ex Heraclitì ad* Hermodorum epist.

e Phrases quibus Paulus suum cum bestijs certamen, suam innocentiam, ac nostræ cõversationis præmium in Cælo repositũ exprimit. 1. Cor. 15. 32. 2 Cor. 7. 2. Philip. 3. 20. desumsit ex Heraclitì ad Hermodorum epist.

2. tesse doctissimo Sculteto *in sua Oratione de Philologia cum Theologia coniungenda, Dicæijs Euangelicis præfixa.* d 1. Cor. 9. 24. e Esa. 22. 13. 1. Cor. 15. 32. f *ad vxorem l. 1. c. 1.* g *Vincens. Lerin. commonitor. cap.* 24.

V. NEc modò Gentium Doctor Paulus, ſed etiam Iudæorũ Apoſtolus, et Paulinę ſapientiæ laudator Petrus atque Lucas à gentilitijs deſcriptionibus non abſtinuerunt: prior enim Cacodæmonum pœnas Homericis phraſibus adumbravit; poſterior in referendâ Pauli navigatione, Ethnicorũ Idolorum nomen, quamvis abſque vllo narrationis ſuæ diſpendio taceri potuiſſet, vſurpavit.

στειραῖς ζόφῳ ταρταρώσας 2. Pet. 2. 4. Hom. Iliad. 8. διοσκούροις. Act. 28. 11.

VI. DEinde, non tantùm ex Apoſtolorum ſub Euãgelio, quin et ex ſanctiſſimo Prophetarum choro nonnullos ſub Lege, nondũ videlicet ſoluto, quo Gentes à Iudæis diſcludebantur, intergerini parietis ſepto, Gentiliũ ſcriptis vſos eſſe locuples teſtis eſt Hieronymus his verbis: *Quis neſcit et in Moſe, et in Prophetarum voluminibus quædam aſſumpta de gentilium libris?* Quod de venerando Hezrâ, et ſapientiſſimo Daniele nullo negotio probari poteſt. Nam amborum extraneorum Regum epiſtolas et decreta ex Perſicis Annalibus, Babyloniciſque tablinis Chaldaico ſermone deſcripta ſuis libris intexuerunt: nempe vt ipſarum gentium, apud quas res illę geſtæ, teſtimonio, fides et authoritas harum hiſtoriarum comprobaretur, et hoc pacto etiam infidelium teſtimonia, velut Ægyptiorum ſpolia in Eccleſiam illata ſanctificarentur. Vt interim nihil dicam de libro Heſterę, quem ex Actis publicis concinnatum fuiſſe putant eruditi.

Epiſt. 84 ad Magnum. Hezra c. 1. & 6. et 7. Dan. 4. & 6. Trem. & Iun. (in Heſt. 9. 32) quem *textualis & Scholaſticæ Theologiæ Oraculum* vocat inſignis ille Doct. Hallus epiſt. 7. Decad. 1.

VII. QVibus tamẽ exemplis adeò non excuſantur, vt accuſari potiùs, ac reuinci poſſint, qui Deum Hekronis, quaſi non eſſet Deus in Iſraël,

nimis consulunt: qui Abuna et Pharphar, Damasci fluuios, quàm omnes Israëlis aquas magis frequentãt: qui diuinũ margaritum humano vitro posthabentes, ancillasq; relictâ Dominâ cum Penelopes procis ambientes, antiquorum Patrum et Scholasticorum, imò, quod longè intolerabilius est, profanorum authorum, expressis etiam ipsorum nominibus ac verbis, quamuis nec * paucis nec efficacibus aut emphaticis, frequentiùs quàm Prophetarum et Apostolorum scripta (quibus solis superstructi sumus, vt quæ reliquorum hominum libris tantò præstent, quantò Deus homini) apud Christianum vulgus proferunt, putidâque eruditionis ostentatione suam, non Christi, gloriam, nec auditorum ædificationem quærunt. Nam vt de latrone in vestibulo mortis resipiscente dicunt Theologi; *bonus erat ne quis desperaret, sed vnus tantùm ne quis præsumeret*: ita de sæculari literatura dici potest; *citatur quidem in Scripturis, ne quis eam prorsus despiceret, sed raríenter & parcè citatur, ne quis eam penitus deperiret, & nimis sæpe concionibus sacris admisceret.* Ibi enim, si vlquam, obtinere debent, præter illud Politicorum, *salus populi suprema lex est*, hæc verè Theologica Petri Chrysostomique, qui per *ostium ouilis* Scripturam intelligit, axiomata: *si quis loquitur, vt eloquia Dei loquatur*: et, *de Scripturis omnia inquirite. Nam si quid absque illis dicatur, auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæsitans, & interdum sermonem vt friuolum auersans, interdum vt probabilem recipiens: verùm vbi è Scripturâ diuinæ vocis prodijt testimonium, et loquentis sermonem, et audientis animum confirmat.* Quæ ab ipsis Patribus,

* *In Patrũ dictis ad populum citãdis 4 cautiones requirit Becker. lib 1. cap. 8. Rhet. Eccles. 1. vt id fiat ràro & parce. 2. vt quæ citantur sint breuia. 3. vt sint valde apposita et emphatica. 4. vt continuo et commode reddantur vernacula lingua. Quæ omnes limitationes in profanis authoribus allegandis multo magis obseruari debet.*

Cic. 3. de legibus.
Ioan. 10. 1.
Chrys. in Ioan hom. 58.
1 Pet. 4. 11. in 2. Cor. hom. 13. & hom. in psal. 95.

bus, in suis ad populum homilijs constanter servata fuisse, quidam in eorum scriptis versatissimi prudēter observarunt. Nempe Theologici ædificij parietes & tectum, cuiuslibet authoris auro, argento, gemmis decorari ac firmari possunt, fundamentum autem aliud solidum nemo ponere potest, nisi rupem Christum, id est Christi verbum: καὶ γὰρ καὶ ἄλλοθεν πολλὰ φθέγγεται πρεσβύτερος, συμβαίνοντα μέν τοι ταῖς θείαις γραφαῖς, inquit Chrysostomus: vel προτερχόμενα τοῖς ὑγιαίνουσι λόγοις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, vt ait Apostolus. in 1. Cor. Hom. 32. 1. Tim. 6. 3.

VIII. TErtiò, quemadmodū Tabernaculum, militantis Ecclesiæ typū, Ægyptio auro exornavit Ægyptiorum disciplinis ornatissimus *Moses*: vt in extruēdo Domini Templo, non solùm Israëlitarū sed etiam Sidoniorū ac Tyriorum opera vsus est omnū omnino hominū (vtrumq; Adamū excipio) sapientissimus Salomon: vt Israëlitæ preciosam coronam Regi Hammonitarum ademptam capiti *Dauidis* imposuerunt: ita quicquid vspiam veri est, è mendaciorum sterquilinijs, tanquam vniones è conchis, gemmas è bufonibus & draconibus eruere, Ethnicisque vt malè fidei possessoribus ereptum, Christo, qui veritas est, asserere, omnemque intellectum ei captivū submittere Christianis licitum est: *illud enim in Exodo factum sine dubio præfiguratum est vt hoc præsignaret*; si quid post Nyssenum vidit is, *quo vix ocultior quisquam in Scripturis*. Atque huic assertioni fauent cum probatissimi veteris Ecclesiæ tam Græcæ quàm Latinæ Patres, tum Scholasticorum, qui Patribus successerunt,

Grandis est prudentia aurum in luto quærere. Hieron. ad Lætam.

Aug. de doctri. Christ. l. 2. c. 40 Nyss. lib. de vita Mosis ante medium. Tornia Tozi pag. 12.

runt, Coryphæus. a Videantur inter Græcos è * re nomen habens, et Apostolicorum virorum princeps Irenæus: qui de b veritate κατασκευαστικῶς, et pro veritate ἀνασκευαστικῶς rectè scripsit πολυμαθέστατος ille Christianorũ Athenæus Clemens Alexandrinus: eorundem Demosthenes, c et Maximi cognomento dignissimus Basilius Magnus: altera Græcæ Ecclesiæ columna Gregorius Nazianzenus, etiã ab d œcumenica Synodo *Theologus* antonomasticè appellatus, nec non in Concilio Chalcedonensi, quatuor priorum generalium quarto ac generalissimo, inter Catholicos admissus Theodoretus. Inter Latinos verò familiam ducens Augustinus, quo nihil habuit Ecclesia post Apostolos e augustius, et à laudatissimo Augustino f sæpe laudatus ob linguarũ peritiã, aliaq; charismata Hieronimus. Postremò, consulatur è Scholasticorũ numero πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων voluminosus ille Doctor Angelicus, et Augustini sũmus admirator g Thomas Aquinas.

a *Vide Appendic.*

* *erat enim* τῷ τρόπῳ ἐιρηνοποιός. *Euseb. Eccle. hist. l. 5. ca. 24.*

b *Epiph. hær. 32.*

c *Erasm. præfat. in Basil.*

d *Concil. Tyrillen. Act. 4.*

e *Erasm. præfat. in Aug.*

f *De Civit. l. 18. c. 43. cont. Iolian Pelag. l. 1. ca. 7. & l. 2. cap. 10.*

g *Thom p. 1. q. 1. art. 8. in 1. Cor. 15. lect. 4. et in Gal. 3. lect. 6.*

IX. HOrum omnium super hoc argumento doctrinæ summa est; ijs qui clamitant à solis Ethnicorum monumentorũ contemptoribus seruari diuinũ de sacris literis nocturnâ diurnâque manu versandis mandatũ, optimè regeri posse cum illud Saluatoris ad Pharisæos, *Hæc oportuit facere, et illa non omittere*, tum quod in Logicis dici solet, *principale non tollit accessorium. illud enim iste non dissoluitur, sed absoluitur; non adimitur, sed adiuuatur.*

Matth. 23. 23. Alsted. in Præcognit. Theologic. lib. 2. c. 7. Erasm. de ratione concionandi, lib. 2.

X

X. PRæceptis ſuis praxin adiunxerunt grauiſſimi priſcæ Eccleſiæ Doctores, nec minùs exemplo quàm verbo ethica documenta ab Ethnicis laudabiliter deſumi poſſe docuerunt. Etenim eorum monumenta ſic vndique (exceptis demegorijs) præclaris Ethnicorum rebus geſtis et apophthegmatibus, quaſi ſtellis quibuſdam illuminata refulgeſcunt, vt *neſcias quid in illis primùm admirari debeas, eruditionem ſæculi, an ſcientiam Scripturarum* inquit Hieronymus: qui et Tertulliani Apologetico cunctam ſæculi diſciplinam contineri teſtatur, et hæc de ſemetipſo ſcribit: *Quid mirum ſi ſapientiam ſæcularem propter elaquij venuſtatem et membrorum pulchritudinem, de ancilla atque captiua Iſraëlitidem facere cupio? et ſi quid in ea mortuum eſt, idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel frœcido, vel rado: et mixtos puriſſimo corpori vernaculos ex ea genero Domino Sabbaoth?* Quæ viri doctiſſimi verba, per captiuam mulierem, cuius mentio fit Deuteronomij 21, gentilem literaturã myſticè intelligendam eſſe tam apertè docent, quàm ſcitè ab alijs hæc eadem confertur 1. cum Bilha Rachelæ ancilla, cui parere quidem datum eſt, verùm ſuper herę ſuę genua 2. cum aquis Ierichuntis, quas Dei Spiritus edulcauit, et ſalubres fecit filijs Prophetarum. 3. cum nuce iuglande, cuius nucleo priuſquam veſcarẽ, viridis ille cortex cum amariſſimo putamine detrahendus eſt. 4. cũ roſario, quod qui demetunt, ſpinas quidem intactas dimittunt, roſarum verò calyces colligunt. 5. cum Gallo Phrygiæ fluuio, qui ſi modicè biba-

Hieron. epi. 84.

Ibidem.

Geneſ. 30.

2 Reg. 2.

Plin. hist. l. 31. c. 2. Aeneid. 2.

tur, corporis morbos depellere; sin immodicè, lymphatũ animum reddere dicitur. 6. cum Virgiliano Sinone, vera non pauca falsis admiscente. 7. cum Athenienſi agro, mel pariter ſuauiſſimum et nocentiſſimã cicutam proferente. 8. cum Ægyptiorum ſolo, de quo poëtarum princeps Odyſſeæ quarto,

—— φέρει ζείδωρος ἄρουρα
Φάρμακα, πολλὰ μὶ ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Botrum carpe, ſpinam caue. Aug. tract. 46. in Ioan.

Sunt mala, ſunt quædã mediocria, ſunt bona multa:
Hæc capias, illis ne capiare cauens.

Comede dactylos, ſed proijce foras duritiem eorum. prouerb. Talmudicum.

Nec Aaronis, licèt aliàs viri ſanctiſſimi, ex Ægyptio auro vitulum conflantis, vel Petri quod deus purgauit pro polluto habentis, vel neſcio cuius homuncionis domum ſuam ex impij hominis ſylua ſtruere recuſantis: ſed Ioſuæ, maledictæ Ierichuntis aurum et argentum Domino conſecrantis; ſed Samſonis ex acri dulce educẽtis, ſed Telephi, vulneris remedium ac medelam vel abhoſte petentis, factum imiteris. Nam vt Pſyllorum eſt venena exſugere, et aranearum, etiam quæ ſalubria ſunt, in venena conuertere: ſic Medicorum eſt è vipera theriacam, et apum vel amariſſimis ex floribus dulciſſima mella conficere.

Plut. in Catone minore. Sueton. l. 2. c. 2. 17. Plin. l. 11. c. 25.

XI. EX ingenti autem aceruo manipulũ duntaxat protulimus ſummorum Scriptorũ: quorum hac in re, nec diuerſitas temporum, nec diſtantia locorum, nec varietas linguarum læſit concordiam, ſed ſimiles lyræ fuerunt, quę multas quidem habet chordas, vnam verò ſymphoniam, et ſonorum

sonorum vnum concentum emittit. Consensum autem Sapientum virorum securè contemnere, quid aliud est quàm fastuosam illam arrogantis Abailardi, *omnes sic, sed ego non sic*, ἀνθάδειαν redolere? et istam Homeri philosophorum reprehensionem incurrere, τί μεῖζον ἀμαθίας τεκμήριον, ἢ ἐπιδεῖν τις σοφοῖς ἀνδράσι διαφέρηται; Apud Bern. Epist. 190, qui addit, *Os talia loquens iustius fustibus tunderetur, quam rationibus refelleretur.* Plato in Hippia minore.

XII. POstremum argumentum à duplici vtilitate arcessi potest. Nam si certnm est prophetijs historijsque sacris exoticas, et poëticis Scripturę partibus profanos poetas & parabolis Physicam, & vtriusque Tabulæ, præsertim secundæ, præceptis Ethicam sæpe lucem adferre: si verum quod ait Nyssenus, *consueuisse Sacras literas ab æternis quoque fabulis mutuari voces aliquot, ijsque quam sibi proposuere sententiam illustrare*: quis non videt extraneos sapientiæ professores, non solùm ad Scripturæ fructus, vt loquitur Basilius, foliis ornandos atque conseruandos plurimùm conducere: verùm etiam ad genuinam grauissimarum rerum expositionem eruendam? Quod commodum circa scientiam et intellectum versans, excipit aliud ad conscientiam et affectus manans. Quamuis enim Sanctuarij siclus grana quàm reliqui duplo plura pendat: licèt in Scriptura, absolutissimo salutis nostræ instrumento, nihil necessarium ad veram perennemque quorumuis fidelium felicitatem desideretur (hac enim *salubriter et praua corriguntur, et parua nutriuntur, et magna oblectantur ingenia*) non tamen propterà fructu carere putanda sunt præclara paganorum monita vel exempla. Nam vt simiarum gesticulationes leonibus fastidio ægris Vide August. de doctr. Christ. l. 2. c. 28 & Liuelæi Chronolog. initio. *Cum in Psalmis tam multæ ac variæ sint figuræ, non possunt eos de vtre enarrare Interpretes, qui non attigerunt poemata*; Melancht. præfat. in 3. Micylli libros de Re Metrica. Nyss. super Cant. Cantic. citatus à Sculteto vbi suprà. Basil. hom. ad nepotes de legendis gentilium libris. Iunius in Exod. 30 13. Aug. Epist. 3. Plin. l. 8. c. 16.

animos accendunt et ſpiritus addunt: vt ſyllaturiens Pompeius dicere ſolebat, *Sylla potuit, ego non potero?* et Archicynicus ille intuitus aliquando puerum manu concauâ bibentem, abiecit cotylã è perâ productam ſibimet ſuccenſens et clamans, *num parſimoniâ vincetur etiam à puerulo Diogenes?* ita * gentilitiarum virtutum et apophthegmatum commemoratio cordatos Chriſtanos ingenuo pudore ſuffundit, illiſque id genus meditationes indubiè ſuggerit: pluſne poterit apud infideles naturæ liber, aut rationis lumen, quàm apud nos gratiæ? plurane cæcis illis meridie palpantibus expreſſerit gloriolæ cupiditas, vel infamiæ metus, aut amor patriæ terreſtris, quàm nobis qui Chriſti nomine inſignimur, et ab ipſo Chriſto *lux Mundi* audimus, Domini reuerentia, vel gehennæ timor, aut ſupercoeleſtis ſpes hæreditatis? *Atqui plus debet præſtare Chriſti diſcipulus, quàm Mundi philoſophus, gloriæ animal, et popularis auræ atque rumorum venale mancipium,* vt Tertulliani verbis loquitur Hieronymus. Cuius contemporaneus Auguſtinus luculentum in ſemetipſo nobis ſuppeditat exemplũ: ſcribit enim clariſſimus antiſtes, ſe, cùm ageret annum ætatis vndevigeſimum, lecto Ciceronis Hortenſio, quo ille ſuos ad humanã Philoſophiam hortatur, magnoperè excitatum fuiſſe ad Chriſtianorum ſapientiam indagandam: vt etiam ante eum Iuſtinus martyr fuiſſe memoratur lectâ neſcio quâ

Cic. ad Atticum l. 9 Epiſt. 12. Laert. l. 6. in eius vita.

* Vide quæſo Auguſt. de Ciuitate Dei l. 5. c. 16. et 18. *Sententiæ ab Ethnico profectæ vehementius afficiunt et acriores aculeos habent* Eraſmus præfat. in Sene. *Magis mouent exempla imparia, velut exemplũ virtutis a iuuene tranſlatum ad ſenem, a muliere ad virum, ab Ethnicis ad Chriſtianos, denique a brutis traductũ ad homines.* Idem de Ratione concionandi l. 2. Τίς ἡμῖν ἔσται ἀπολογία λοιπὸν, ὅτ' ἂν ὅσον ἴσχυσιν ἡ ἀνθρωπίνη δόξα παρὰ τοῖς ἑλλήνων φιλοσόφοις, μὴ ἰσχύσῃ παρ' ἡμῖν ὁ τοῦ θεοῦ φόβος, οὐδὲ γὰρ οὕτω βλέπτει ἕλλην παράνομα πράσσων, ὡς χριστιανὸς ταῦτα ποιῶν.

Chryſoſt. hom. 15. in Matth. *Erubeſce, o Paula, Ethnicæ comparatione ſuperaris: melior eſt ancilla diaboli, quam mea.* Hieron. Epiſt. ad Paulam. Tertull. lib. de Anima, Hieron. conſolat. ad Pammach. et ad Iulian. Aug. Confeſſ. lib. 3. cap. 4. et lib. 8. cap. 7. & lib. de beatâ vitâ.

Platonis

Platonis sententiâ. *Et* quandoquidē *quæ ante scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*, minimè dubium est multos olim non præputiatos corde Iudæos, hodieque Christianos non æquivocos aut * ἀπηλιγκότους, ex Philistæorum, Chittæorum, Assueri, Reginæ Sabæ, aliorumque infidelium rebus gestis in sacrum Codicem relatis, plurimùm vtilitatis percepisse tam ad virtutem amplectendam quàm ad vitium aversandum. Proinde satis appositè à non nemine veterum animadversum est, Dei sapientiam sapienter ab Apostolo* πολυποίκιλον fuisse vocatam, *vt quæ varie, multisque modis, per artem, per scientiam, per fidem, per prophetiam, suam ad nostrum beneficium ostendat potentiam.* Denique, si *quicquid verum à quocunque dicitur, à spiritu sancto dicitur*, vt ait Ambrosius: si spiritus veritatis spirat quocunque vult: si lucem in tenebris lucere, et è tenebris splendescere certum est: si sanctissimos Patriarchas à Regibus Ethnicis ob dissimulationem iure reprehendi, fidissimumque in totâ Dei domo servum Mosem, per gentilis Madianitæ consilium de rebus gravissimis admoneri passus est Dominus: si etiam à * brutis animalibus multa laudabilia doceri nos voluit; quis eum tot egregijs exoticorū Scriptorum monumentis, vt erudiremur voluisse negare sustinebit? Ex ijs enim, si non ipsius fidei, certè moralium virtutum, ac eruditionis incrementum, fideles capere possunt sine fidei detrimento.

Rom. 15. 4.

* Ephes. 4. 19.

Iudic. 16. 23, 1 Sam. 6. 2. Ierem. 2. 10. Hest. 1. 8. Luc. 11. 31.

* Eph. 3. 10.

Clem. Alex. Strom. l. 1.

Amb. in 1 Cor. 12. 3.

Omne verum a veritate veritate est, est autem Deus veritas. Aug. li. 83. quæst. q. 1.

non dicit verum nisi veritas, quia Christus est veritas. idem epist. 39.

Cur Deus familiarium suum, cum quo ipse tanta et talia loquebatur, ab alienigena passus est admoneri? in hoc Scriptura nos admonet per quemlibet hominem detur consilium veritatis, non debere contemni. Augustin. lib. quæst. super Exod. q. 68.

XIII. EXemplis authoritatibusque suprà citatis non modò stulta Rabbinorum παραδόσια

* Prouerb. 6. 6. Esa. 1. 3. Ierem. 8. 7. Matth. 10. 16.

μανέια satis superque refellitur: sed etiam impudentissima, et quæ cum Augusti Aiace in spongiam incumbat dignissima Machiavelli calumnia, tanquam Aiacis clypeo retunditur. Famosus ille et plusquam Thracijs notis compunctus atheus, omni pudore excusso blaterare ausus est, celeberrimos priscæ Ecclesiæ Doctores ac Præsules, totis viribus conatos fuisse vniversos gentilium libros taliter accipere, qualiter ab Apostolis ad fidem conversi memorantur tractasse magicos. Quod splendidum novi Luciani vel Diagoræ mendacium, præter iam annotata Patrum testimonia, et antiqui cuiusdam Concilij, Venerabilisq; Bedæ assertiones *Iuri Canonico* insertas, evidentissimè revincunt Augustini nobilissimũ opus de Civitate Dei, Eusebij Cæsarienſis de Præparatione Evangelicâ libri ferè omnes, Arnobij disputationes, Lactantij Institutiones, nec non Iustini martyris, Athenagoræ, Tertullianique Orationes Apologeticæ. In quibus scriptis id potissimùm agunt isti Patres, vt *concurrere faciant Ægyptios aduersus Ægyptios*, vt gentilibus suis ipsorum gladijs, ad instar Goliathi, iugulatis, Ethnicam idolomaniam destruant, et Christianam astruant Religionem. Vt taceam, & Eustathium Episcopum Homeri libros adeò non censuisse exurendos, vt laboriosis Commentarijs eos illustrare dignatus fuerit: & clarissima totius Orientis lumina sibi temperare non potuisse, quin acerrimè calamum stringerent in Iulianum Apostatam, quòd bonarum literarum præsidium Christianis ereptum iret, eorumque scholas claudi iuberet. Enimuerò magni illi viri, quamuis persuasum haberent ab omnibus mortalium libris adoran-

Machiauellus sub nomine Christiano prior gentils Athens. Lorin in Sap. 2. 11. Mach. discursuum de Republ. l. 2. c. 5. Vide Scipionis Amirathi dissert. at. Politic. l. 21. discursu. 1. Act. 19. 18.

Gratian. distinct. 37.

Esa. 19. 2. *Bis interimitur qui suis armis perit.* Nazianz. Cyril. Alex. Theodor. hist. l. 3. c. 7. Socrates l. 3. c. 14. Sozom. l. 5. c. 17 *Aperte quidem Dæmones fatentur quod dum sæcularibus literis instruimur, in spiritualibus cæcinamur, Greg. in 1 Sam. 13. 20.*

adorandum esse Christi librum, vt à fratrum manipulis adoratus fuit manipulus Iosephi: licèt idem crederent de verbi diuini gladio, quod de Goliathi dicebat Dauid, *nullum ei similem reperiri posse*: tamen existimabant Scriptores profanos, qui tam fructuosè Sacris ancillantur, honore dignos esse, meritóque censebant licere Christianis rutra, vomeres, ac ligones suos, Hebræorum exemplo, apud Philistæos exacuere, vt hisce instrumentis adiuti Dominicum arvum pastinare, omnesque eius glebas frangere, id est, ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας commodiùs valeant.

1 Sam. 21. 9.

Adhoc quidem tantum liberales artes discendæ sunt, vt per institutionem illarum diuina eloquia subtilius intelligantur. Gregorius ibidem.

Sub quidam vomere terra proscinditur, sed vt hoc fieri possit, cætera etiam artis membra iuncta necessaria. Aug. de Ciuit. l. 16. c. 2.

XIV. IIsdem verò aduersus exoticam literaturam gentilium libris contentam paulò inclementiùs scribentibus, idem planè fuit scopus qui Beato Paulo, cum inflationis probro scientiam, tum κενῆς ἀπάτης stigmate Philosophiam traducere viso: nempe non a ipsam, sed ipsius abusum & inanem obtentum, quem ψευδώνυμον γνῶσιν alibi appellat, perstringere, nimiumque eius b honorem ac studium damnare. Cùm humaniores disciplinæ, quantumuis in se præclaræ & suum inter Dei dona locum obtinentes, si cum veritatis τῆς κατ' Εὐσέβειαν doctrinâ c comparentur, ab eâque separentur, nihil aliud sint quàm d vanæ, vagæ, futiles, inutiles, allicientes

1 Cor. 8. 1. Colos. 2. 8.

a Vide Hieron. in 1 Cor. 8. 1. et Aug. tract 27. in Ioan. & de morib. Eccles. 1. c. 21.

b Vide Aug. in initio Retract. & Bern. in Cant. serm. 9. & 36.

c Pluchra sunt decora bona, quanquam præ bonis superioribus et beatificis abiecta & iacentia. Aug. confess. l. 2. c. 5.

d Palea ad triticum, siliquæ ad panem, cepæ & allia Egypti ad cœlestem manna.

entes

entes tamen meretrices & meræ tricę : prę quibus qui ſuauiſſimè fragrantia θεοπνεύστων Scriptorum myrothecia faſtidiunt, & duodecim Romanorum Tabulas duabus Dei Tabulis, vel Pindaricas Odas Dauidicis Pſalmis e anteponunt, aut Ciceroniani quàm Chriſtiani fieri longè malunt, ij ſunt ſues luto amicę & amaracinum fugitantes, vel ſcarabęi μύρον ἀπολείποντες καὶ τὰ λυσσῶλη διώκοντες, vel Æſopici galli ſordidum hordei granum precioſę gemmæ pręferentes. Quibus maturè cauendum eſt ne ideò in varios errores cum f Lactantio prolabantur, ac multò magis ne prolapſi non commentitijs, vt olim g Hieronymus ſomnians, ſed realibus ijſque grauiſſimis plagis in tremendo iuſtiſſimi Iudicis iudicio cædantur : ὃ γὰρ ἐστιν, οὐκ ἔστι πᾶσι σωθῆναι μὴ συνεχῶς ἀναγνώσεως ἀπολαύοντα πνευματικῆς, ait h Chryſoſtomus; & *qui quæ ſunt Domini neſciunt, à Domino neſciuntur*, inquit non minùs verè quàm ſeuerè i Gregorius Magnus. Proinde cum Apollo potentes in Scripturis eſſe laboremus, cum Mariâ bonam partem eligamus quæ à nobis non auferatur, cum k Hieronymo *diſcamus in terris quorum ſcientia nobiſcum perſeueret in Cœlis*, maioremque cibo animorum in vitam æternam permanenti, quàm cibo pereunti, linguis ceſſaturis, cognitioni abolendæ operam nauemus : nec amentes l Chalcedonenſes imitemur, qui ſterile et arenoſum ſolum, cùm pingue Byzantinum potuiſſent, habitare maluerunt: aut ijs ſtultis aggregemur, in quos optimè quadrant hæc Agathonis Platoniſque ſcita,

e *Huius impietatis Angelum Politianum arceſſunt poſt Vivē et Melanchthonem Epiſcopus Kingus lect. 27. in Ionam & Mornæus de veritate Chriſt. Relig. c. 26.*

f *Lactantius Arnobij diſcipulus in plurimos errores lapſus eſt, præſertim circa futurum ſæculum, cum eſſet magis librorum Ciceronis, quam Scripturarum Sanctarum peritus.* Bellarm. de beatit. Sanctor. c. 5. in fine.

g Vide Hieron. epi. ad Euſtoch. & lib. 1. Apolog. adv. Ruffin.

h Chr. hom. 3. de Lazaro, & tom 5.

i Greg. paſtor. parte 1. c. 1.

k Ad Paulinū

l Herodot. l. 4 Strabo l. 7. Tacit. Annal. l. 12.

τὸ μὲν πάρεργον, ἔργον ὡς ποιώμεθα,
τὸ δὲ ἔργον, ὡς πάρεργον, ἐκποιώμεθα : Athen. lib. 5.
σπουδαῖοι ἐν τοῖς γελοίοις, γελοῖοι ἐν τοῖς σπουδαίοις.

Interim tamen maneat Agar in Abrahami domo; modò Saram non ampliùs spernat vt imparem, rideat vt sterilem, despiciat vt inferiorem : sed obseruet vt heram, timeat vt Dominam, suspiciat vt superiorem. Illa quippe δημαγωγὸς popello se se venditat: Ista ψυχαγωγὸς ipsi Deo se probat. Illa suos discipulos vtilibus ἡδύσμασι mulcet : Ista suos alumnos necessarijs ἐδέσμασι pascit. Illa ciues * ciuiles, homines humanos : Ista naturę diuinę consortes, & sanctos efficit. Illa liberalis duntaxat audit : Ista liberę, & liberatricis epitheton insuper meretur. *Incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum quàm Helena Græcorum.*

* *Abscondit vitia, non abscindit*, Lactantius Instit. l. 3. c. 26.

Augustin. epist. 9. ad Hieronym.

FINIS.

Domine Iesu sint castæ deliciæ meæ Scripturæ tuæ : nec fallar in eis, nec fallam ex eis.

Aug. Confess. l. 12. c. 2.

Καὶ γὰρ πνευματικὸς λειμών, καὶ παράδεισος τρυφῆς ἡ τῶν θείων γραφῶν ἐστιν ἀνάγνωσις. Chrysost hom. de vtilit. lectionis Scriptur. tom. 8.

Εἰ γὰρ ὦμεν φιλομαθεῖς, ἐσόμεθα καὶ πολυμαθεῖς. τῷ γὰρ κρούοντι ἀνοιγήσεται. κρούσωμεν τοίνυν εἰς τὸν κάλλιστον Damasc. Orthod. fid. l. 4. ca. 18.

παρά-

παράδεισον τῶν γραφῶν, τὸν εὐώδη, τὸν γλυκύτατον, τὸ ὡραιότατον. ἀρυσώμεθα ἐκ τῆς τούτου τοῦ παραδείσου πηγῆς, ἀέννα καὶ καθαρώτατα νάματα, ἁλλόμενα εἰς ζωὴν αἰώνιον.

Ioseph. Scal in Iambis gnomicis num 19. Chrysost. hom. 21. in Ephes. 6. *Huc pertinent Basilij, Plutarchi, aliorum similia a tinctoribus, peregrinantibus, metallarijs. Basil. de leg. gent. li. Plut. de educat. puer. Hæ disciplinæ non obstant per eas transeuntibus, sed circa eas hærentibus. Quintil.* Hieron. in epitaphio Fabiolæ. Aug. de Doct. Christ. l. 2. c. 41.

Non te vetamus omnium per artium
Campos vagari, quatenus mentem tuam
Ad clariora præparant, non occupant.
Vna aucupanda sit tibi scientia
Vitæ Magistra, veritatis regula,
Quæ fingit animos cultibus sapientiæ.
Qui nescit illam, perperam scit cæteras.

Nihil nobis prodest omnium rerum
eruditio, nisi Dei scientiâ coronemur.

Quamuis de Aegypto diues exeas, tamen
nisi Pascha egeris saluus esse non potes.
Pascha autem nostrũ immolatus est Christus.

EX

EXERCITATIO POSTERIOR, CONTINENS ARTIS POËTICÆ ET VERSIFICATORIÆ ENCOMIVM.

CVM ex rebus naturalibus, quas dives hic Mundus habet, plurimæ sui Authoris dignitate, multæ sacratâ vetustate, non paucę vtentium numero ac præstantiâ, quædam duratione perenni, nonnullæ dulcedine vtilitati mixtâ sese venditare soleant: quanti faciendæ sunt istæ quibus de agimus Artes, cùm non vnum aut alterum ex istis, sed ad vnum omnia ista laudationis argumenta sibi iure optimo vendicare possint?

II. AVthorem enim non alium habent quàm Patrem luminum, omnis bonæ donationis fontem, omnisque sapientiæ tam naturalis quàm supernaturalis scaturginem. Nec enim minùs in naturæ negotio quàm in gratiæ mysterio verum est illud Apostoli, *Quid habes quod* à Domino *non acceperis*? à quo si artes mechanicæ & manuales promanuerint (vti Bezaleelis & Aholiabi probatur exemplis;) quantò magis liberales & intellectuales, quarum ambitu Poëtica continetur, ab eodem originem

Omne bonum nostrum vel ipse, vel ab ipso est. Aug de doctr. Christ. l. 1. c 31.

Sapientia. 1. Christum, ædificauit sibi domum 1. Philosophiam, excidit columnas 7. 1. 7. artes liberales Hugo Cardin in Proverb. 9. 1.

nem traxisse existimandæ sunt? Atque hoc ipsum in Salomone & Daniele Deus ipse ostendit infidelibus ipsis, nec aliud sibi voluisse videntur ipsi infideles, quum Mineruam scientiarum Deam ex Iouis sui cerebro prognatam esse fabulati sunt.

III. AVthoritatem ijsdem conciliat veneranda canities, quæ tam extra Ecclesiam quàm in eâdem animaduertitur. Nam et *apud Græcos*, inquit Tullius, *antiquissimum è doctis est genus Poëtarum, siquidem Homerus fuit & Hesiodus ante Romam conditam, Archilochus regnante Romulo. Nec dubitari debet quin fuerint ante Homerum Poëtæ: quod ex eis carminibus intelligi potest, quæ apud illum & in Phæacum, & in procorum epulis canuntur.* Cui concinens Plinius, Poëticam non solùm Homero Salomonis coætaneo, sed etiam bello Troiano, quod Iudicis Iephtæ temporibus accidisse fertur, annosiorem facit. Et vtriusque sexus fideles sub Veteri Testamento poëmata panxisse certo certius est. Exemplo sunt ex viris Moses, Dauid & Ezechias: quorum ille primùm laudes Dei, populum suum ex acerbâ Ægypti seruitute, elato brachio & extensâ manu educentis, carmine celebrauit; deinde Israëlitas cantione sui planè cygneâ commonefecit: iste Saulis & Ionathanis obitum metrico Epitaphio defleuit: hic tum grauissimum morbum, tum ab eodem diuinitùs concessam liberationem Eucharistico hymno decantauit. Ex fœminis verò todidē Prophetides, nempe Maria Mosis & Aaronis soror, virago illa et mater in Israël Debora, & Anna Samuëlis parens: quas ob accepta beneficia præclarissimis canticis Deo gratias egisse legimus.

1. Tusc. initio Poetæ sunt multo antiquiores quam historici, & Oratores, & cætera genera Scriptorum. Lact. l. 7. c. 22. *De claris Oratoribus.* Vide Plin. hist. lib. 7. cap. 56. & Plut. Sympos. l. 5. q. 2.

IV.

IV. NEc modò quasdam Scripturæ portiones & particulas, sed etiam integros libros versibus includi voluit Spiritus Sanctus; puta Iobum, Psalmos, Prouerbia, Ecclesiasten, Cantica Canticorum: qui tertiam Bibliorum partem apud Hebræos constituunt, et Poëtici nominantur, quique Psalmorum nomine latè sumpto comprehendi videntur à Christo, Veteris Testamenti Scripturam diuidente in Legem & Prophetas, & Psalmos. Quibus addi potest Threnorum liber, quem vario carminis genere, Alphabetico ordine Ieremias exarauit. Quorum omnium versuum metrica ratio nobis, vt Hebræis hodie, prorsus ignota est, vtpote quę cum politiâ Iudaicâ, sicut alia multa, perijsse putetur à doctis cum Pontificijs tum Orthodoxis: quãuis *Iosephus vir Hebraus & ab infantiâ Sacris literis eruditus*, nonnihil de illa literarũ monumentis consignauerit. Luc. 24. 44. Hieron. epist. 84. Ioseph. Antiq. Iud. l. 2. c. 7. & l. 4. cap. 8. & lib. 7. c. 10.

V. IN Noui fœderis instrumento Poëticen à Deo itidem honoratam cernimus: Siquidem Saluator noster huius artis flosculos ad commodiorem suorum auditorum institutionem identidem vsurpans, vnà cum discipulis hymnum ceciniſse legitur, & tria poëmata partim à Beatissimâ ipsius Matre Semperuirgine, partim à Zachàriâ & Simeone decantata, totidemque poëtæ citati conspiciuntur. Post Apostolorum autem è viuis excessum, Græcos Latinosque priorum ac puriorum sæculorum Doctores Orthodoxos his artibus impensè delectatos fuisse, tantoperè celebrãta Nazianzeni, Ambrosij, Prosperi, aliorumque monumenta loquuntur. Vt Matth. 26. Luc. 1. & 2.

nihil dicam de minorum gentium Patribus, inter quos alij Christiana poëmata scripserunt, vt Hilarius Arelatensis, Paulinus, Victorinus, Sidonius Apollinaris, Sedulius, Synesius: alij etiam professione poëtę fuerunt, quales Iuuencus, Prudentius, Nonnus, Dracontius, Venantius, Alcimus: quorum primus Euangelicæ Historię, secundus vtriusque Testamenti maiestatem sub metri leges mittere ausus est. Quibus adiungere promptum esset non paucos huius et superioris çui Theologos, multis veterum solâ vetustate, et, vt Satyricus loquitur, *propter mille annos* inferiores, Theologicę Versificationi assuetos.

Iuuen. sat. 7.

VI. NEc modò de tribu Leui, set etiam è tribu Iuda, ex ipsoque adeò potentissimorum cum Orientis tum Occidentis Imperatorum numero nonnulli, Poëtarum ac Poëtices amatores et admiratores extiterunt: inter quos eminent ac toto vertice supra sunt Arcadius et Honorius Theodosij senioris hęredes, Eudoxia iunioris vxor, Valentinianus cum filio suo Gratiano, Franciscus Magnus Galliarum Monarcha, omni laude maior Regina Elizabetha, nec non hodiernus ille tot summorum Theologorum Rex, et Regum ac Principum Theologus incomparabilis. Cuius et pręclarissimum super Lepantheo prælio Carmen ἐπινίκιον debitis elogijs prosecuta est Gallica philomela, et reliqua scripta cedro digniissima suspicient

Eudoxia dicta fuit φιλοεπὴς *quod esset carminum studiosissima.* Lilius Gyraldus histor. poet.

Virg. Aeneid. 3.

Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

VII. Rur-

VII. RVrsus, vt fideles et ecclesiastici, sic profani quoque & exotici homines has artes maximo in precio semper habuerunt: vt abundè constat ex eo quòd 1. poëtas pro suis Theologis ac Prophetis coluerint, quemadmodum et Scriptura, & Patres, & nomen Vatum ijsdem passim attributum euincunt. 2. Quòd Poësin maioribus quàm historiam, aut vllam aliam Encyclopædiæ partem laudibus efferant: eam enim vocant *diuinam imitationem, sacram ecstasin, enthusiasmum*, eiusque nomine omnem sapientiam & eruditionem comprehendunt: Poëtas verò *Deorum filios & interpretes, sapientiæ duces ac patres, verorum nominum doctores* appellitant. 3. Quòd affirment hoc Poëtę nomen apud omnes adeò sanctum semper extitisse, vt illud *nulla vnquam barbaria violarit*. 4. Quòd in omni genere literarum libros numeris astrictos conscripserint: vnde & Poëtices imago globum seu sphæram quâ manu tenens picta fuit, ad significandum quicquid totius Mundi ambitu continetur, quicquid supra vel infra Lunam est, carminibus fuisse descriptum. 5. Quòd qui inter ipsos sapientissimus habitus est Socrates, etiam in extremâ senectute versibus pangendis sese oblectauerit. 6. Quòd Romanorum doctissimus Varro poëmata scripserit, & Aristoteles de faciendis, Plutarchus de legendis poëmatibus ex professo præcepta tradiderint. 7. Quòd eorum nominatissimi quique poëticas sententias suis libris frequenter inseruerint, vt patet ex Platone, Aristotele, Plutarcho, Seneca, Cicerone, qui dicit se *studiosè vti Poëtis ne quo ornamento careret sua Oratio*. 8. Quòd Syracusani multis Athenien-

Tit 1.12. Aug. de Ciu. t. l. 18 c. 14. Lactant. l. 5. c. 5. Plato in Dialogo qui inscribitur Ion. *Idem quum de singulis disciplinis agit, ποεσιν τὸ ὅλον* vocat. Idem in Cratylo. in Lysid. in Ione. Cic. pro Archiâ poeta. *Antiquitus carmine sententias suas Philosophi proferebãt.* Plut. de Pythiæ Oraculis.

Quintil. Inst. l. 10. c. 1.

2 Tusc. quæstion.

Athenienſibus victis pepercerint ob ſolam aliquot verſuum Euripidis recitationem. 9. Quòd Alexander Magnus Homerum et Pindarum, Darius Ariſtophanem, Ptolomæus vnà cum vxore Bernice Theocritum, Amyntas & Archelaus Euripidem, Lyſander Sophoclem, Lycurgus Euripidem, Sophoclem & Æſchylum, Iulius Cæſar & Decius Brutus Accium, Auguſtus Virgilium & Horatium, Scipiones Ennium, Lælius Terentium, Meſſala Coruinus Tibullum, Ælius Verus Martialem, Antoninus Oppianum, ſupra quàm dici poſſit eſtimarint. 10. Quòd Numa, Iulius Cæſar, Germanicus, Hadrianus, alijque poëtica ſtudia Regijs ac Imperatorijs laudibus adiunxerint. 11. Quòd Mecœnas cum literatis omnibus, tum maximè Poëtis ita fauerit, vt ad eum velut ad certam anchoram perfugium ſibi haberent. 12. Quòd Platonem poëticè philoſophantem, & ad Homericam phraſim proximè omnium accedentem (vnde & *Homerus Philoſophorum* fuit * appellatus) cæteris omnibus Philoſophis prætulerint, ac tantùm non vt Deum quendam * venerati ſint. Denique, vt numerò dicam, quòd de natali ſolo Principis Poëtarum

Vide Plin. l. 7. c. 29. & 30. & Petrum Crinitum de Latinis poetis.

* à Panætio apud Cic. 1. Tuſcul.

* Aug. de Ciuit. l. 2. c. 14.

Ouid. Amorum l. 3. eleg. 8.

(——— *à quo, ceu fonte perenni,*
Vatum Pierijs ora rigantur aquis)

Gellius lib. 3. c. 11.

ſeptem Græciæ Ciuitates acriter inter ſe contenderint,

Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chius, Argos, Athenæ.

VIII. EX his igitur planum fit, opinor, ſanctorũ Patrum, ac diuini Platonis, Poëtas atrò carbone

carbone notatos Republicâ exigendos pronunciantium, & ab eorum lectione incautam iuuentutem abſterrentium, ſententiam, non de Poëtis indiſcriminatim & vniuerſè, ſed de ijs duntaxat qui profanos, impios, *impudicos, & bonis moribus inſidiantes vel atheiſmum inſtillantes verſus faciunt, accipi oportere. Qui ſanè vt maximè vituperandi ſunt, & ſi non eo quo mali poëtę olim afficiebantur *ſupplicio digni; certè vix minores pœnas mereri videntur quàm quas memoriâ noſtrâ iuſtiſſimè dederunt huius ſæculi Phariſæi, quum eos Galli primùm, deinde Veneti, pòſt Hungari & Bohemi publico decreto Cameriſque congregatis, tanquam condimentarios, iuventutis corruptores, ſtruendi deſtruendique artifices verſipelles è ditionibus ſuis eiecerunt ac furcillarunt: ita non mediocri laude dignos eſſe, quotquot eos verſus ſcribunt qui mores componunt & ad pietatem erudiunt, nemo prudens negat aut ambigit.

* Tales poetæ merito vocantur a Martyre *animarũ Sirenes*: qualis erat nobilis ille, ſed licentioris vitæ adoleſcens Licentius, quem ſic increpat. Aug. epiſt. 39. *Ornari abs te Diabolus quarit. Si calicē aureum inueniſſes in terra, donares illum Eccleſiæ Dei. Accepiſti a Deo ingenium ſpirituale aureum, & miniſtras inde libidinibus?*

& in illo Satanæ propinas teipſum? Qualis etiam erat Eſpencæi tempore Iaſcivus quidam Pariſienſis didaſcalus, cuius florenti adhuc ætate morientis extrema fuiſſe fertur hæc vox, *Iemali verſus, animam qui perdidis, ite.* Eſpencæus tractatu de Sacra & Patrum Poeſi.

* Id eſt, lapidatione. Vide Caſaubon. Animaduerſ. in Athen. lib. 6. cap. 11.

IX. NOn aliam porrò fuiſſe melliti Philoſophi ſuper hac re mentem, inſuper demonſtrari poteſt ἀναπηρήτους ex ijs ipſis locis vbi Poëtas expellendos ſciſcit, id eſt de Republicâ ſecundo & decimo libris. In priori namque caſta & honeſta poëmata exertè diſtinguens ab ijs, quæ res falſas & vitioſas ſuis illecebris in hominum animos important, affirmat, his reiectis, *dandam eſſe operam vt & nutri-*

ces & matres pueris illa commemorent: vt ijs pœmitiis potiùs informentur atque instituantur eorum animi, quàm corpora manibus curentur. In posteriore autem fatetur *Poësin non modò iucundam, sed & vtilem esse ad Rempublicam & hominum vitam instituendam:* alibique dicit *Poëtam rem leuem quandam & volatilem esse & sacram: neque posse priùs versus condere, quàm correptus Deo fuerit, & extra mentem suam positus.* Nempe iuxta ipsius Platonis, Ciceronis, aliorumque multorum placitum, facultas Poëtarum non humanâ industriâ vel arte comparatur, sed quodam afflatu diuino, & instinctu cœlesti infunditur:

In Ione.

Ouid. 3. de Arte:

Numen ineſt illis, inſunt commercia Cœli,
Sedibus Æthereis ſpiritus ille venit.

X. AD carminum durationem quod attinet, omissis ijs quæ ipsimet Poëtæ de suorum versuum æternitate prædicant, qualia sunt hæc:

Ouid. Amorũ l. 1. eleg. 10 & 15.

Scindentur veſtes, gemmæ frangentur & aurum,
Carmina quam tribuent, fama perennis erit:

Durat opus Vatũ ibid. 3. 8.

Idem in fine Metamor. Horat. carm. l. 3. od. vlt.

Item, *Iamque opus exegi:* & *Exegi monumentum ære perennius,* &c. ipse Cicero, licèt carminis pangendi non fuerit valdè peritus, vt cum Iuvenale Martialis innuit, testatur *nullius agricolæ cultus ſtirpem tam diuturnam, quàm Poëtæ verſu ſeminari poſſe.* Nec immeritò laurus & hedera in perennitatis & incolumitatis symbolum Poëtis fuerunt dedicatæ, cùm videamus cantilenas per multa sęcula durare in vulgo, etiam quum res ipsæ aut historiæ amplius non sunt notæ. Quæ causa fuisse putatur cur antiqua Oracula, quæ per Pythones suos Pater mendacij reddere

Iuuen. Sat 10.

Mart. l. 2. epig. 89.

Cic. 1. de Legibus.

Pierius hieroglyph. l. 50. c. 25. & 26.

dere solebat, versibus fuerint comprehensa: nempe vt sciscitatū missis occasionē vel mutādi, vel depravandi responsa præcideret. Probè enim norat vafer ille serpens, hoc pacto vel hominū incuriā, vel temporis, quod omnia mutat & abolet, iniuriam minùs in illa iuris habituram. Multò quippe procliuior, minùsque animaduersioni obnoxius est erroris ac deprauationis lapsus in oratione solutā, quàm certis pedum mensuris astrictā: contrà verò metri certa & exacta ratio non ita facilè locum vitio relinquit aut corruptelæ, siue vocum siue sententiarum. Quam ob causam amicum quendam admonet Erasmus, *vt in omni genere carminum se diligenter exerceat, eò quòd qui hanc eruditionis partem neglexerunt, facilius labuntur decepti mendis codicum, quæ sæpenumerò prodit metri ratio.* Epist. l. 28. pag. 1207. *Sed & literatissimus Casaubonus varios in antiquis Scriptoribus errores ex metri lege deprehendit.* Animaduers. in Athenæum. l. 2. c. 37. & lib. 6. c. 11. & l. 10. c. 7. alibiq; passim.

XI. SVpereſt cum voluptate coniuncta vtilitas: nam simul

Et prodesse volunt, & delectare Poëtæ:

Quos fines si tam assequi probentur quàm sequi se profitentur, omne punctum ferre meruerunt. Porrò varia commoda quæ Poëtice suis amatoribus adfert, ad tria capita, *prudentiam, moderationem, magnanimitatem*, reuocat Plutarchus, cuius optimissima verba subijciemus ad calcem huius Diatribæ. Versificationi verò sextuplex emolumentum periti rerum æstimatores inesse deprehendunt. Primùm enim non tantùm boni versus, sed etiam mali & inuitā Minervā, seu aduersis Musis & Apolline nullo scripti, authori suo eum, quem requirit, fructum referunt, solatium videlicet & curę requiem ac medicinam,

Horat.l.2.epist. 2.v.107. Ouid.trist.l.5. Eleg.1. & 7. de Ponto.l.1.eleg. 6.&.l.4.eleg. 10.

tam postquàm scripta sunt quàm dum panguntur. Hoc ipsum docet Horatius ac frequenter inculcat Ouidius, se quidem tam bonos quàm anteà scribere versus negans, sed eos tamen, qualescunque sint, sibi solatio esse affirmans. Quin & ipse Nazianzenus

Naz.initio Carminis de vita sua.

μέτρον appellat τῆς ἀνίας φάρμακον, παίδευμα καὶ γλύκασμα τοῖς νέοις. Deinde constat inter omnes, ea quæ solutâ oratione proferuntur, nõ ita in aures atq; animũ penetrare vt quæ astrictis numeris pronunciantur: quòd illa quasi remisso, hæc totis viribus adducto lacerto vibrentur: vel potiùs quòd illa veluti lacertorũ duntaxat, hęc tormentorũ etiã vi contorqueãtur. Cuius vtilitatis probationẽ nobis suppeditant duę Rerũpublicarũ, quas vnquã habuit Græcia (flos olim terrarũ, Sol & fulgentiũ) famigeratissimę: Siquidẽ Athenienses solis Solonis versibus adducti sunt vt contra Megarenses; Lacedæmonij non nisi carminibus Tyrtæi moueri potuerunt, vt aduersus Messenios sibi infensissimos hostes arma capesserẽt. Atque hoc ipsum æquâ iudicij lance secum expendens Plato, statuit in Politicis suis *cogendos Poëtas, vt vel bonorum morum imaginem in suis carminibus exprimant, vel certè nobis scriptiones illas suas ne offerant*: quia nimirum, vt ibidem subdit, *efficacissimè in interiores animi partes influunt, eumque venustate quadam vehementissimè tangunt*. Adde quòd Versificatio propter concinnitatem numerorum multùm iuuat memoriam, nec ita facilè effluunt quæ numeris astricta sunt, quàm soluta oratio. Nam si quid memorię mandandum est, annon quilibet multò faciliùs ligatę orationis paginam, quàm vel quartam solutę partem memoriâ complectetur? nonne tena-

Laert.lib.1.in vita Solonis. Plutar, Apoph. Lac. & Gyraldus hist. poet. dialogo 3.

Plato de Rep. l.3.

cius

ciùs tota illa pagina quàm hæc quarta paginæ pars memorię hærebit? Hinc *Poëtæ audiuntur, leguntur, ediscuntur, & inhæresçunt penitùs in mentibus.* Hinc veteres Ethnici *leges suas numeris alligabant, ne eas oblivioni traderent.* Hinc Druides vetustissimi Britanniæ Galliæque Sacerdotes, & studiosissimi memoriæ excultores versibus omnia commendabant. Hinc omnium ferè artium generales & maximè necessarij Canones versibus fuerunt à viris doctis cõprehensi: *facilius enim singula insident circumscripta, & carminis modo inclusa.* Quæ commoditas profectò tanta est, vt vel sola Versificationem facere debeat apud omnes quàm commendatissimam. Siquidem *memoria non modò Philosophiam, sed* a *omnis vitæ vsum omnesque artes vna maximè continet, estque* b *cæterarum ingenij partium custos,* c *venter animi,* d *stomachus animæ,* e *mentis scriba, thesaurus eruditionis, sapientiæ* f *mater ac Musarum: imò* g *Antiqui Musas vocarunt Memorias, & ipsam Mineruam quasi* h *Memineruam,* quia videlicet *tantum scimus quantum memoriâ tenemus. Quæ non ad eruditionem modò conducit, sed & ad ciuiles actiones non modicum adfert adiumentum:* ἡ γὰρ τῶν γεγενημένων πράξεων μνήμη τῆς περὶ τῶν μελλόντων εὐβουλίας γίνεται παράδειγμα. Huc accedit quòd eius ope factũ est, vt barbaræ etiã gentes literarũ planè rudes, multarũ historiarũ memoriã in πατροπαραδότοις quibusdã cantilenis per annos multos cõseruasse comperiantur, vt abundè testantur Occidentales illæ regiones, quæ superiori demum sæculo nobis innotuerunt: ipsa natura videlicet vltrò ad hanc artem magis, quàm ad aliam

Cic. 3. Tuscul. Aristot. problem. sect. 19 quæst. 28.

Cæsar l. 6. de bello Gallico.

Sen. epist. 33.

a Cic. 4. Acad quæst.

b *Idem de Claris Oratoribus, & in Oratoris partitionibus.*

c Aug. confess. l. 10 c. 9.

d Bern. serm. 36. in Cant.

e Plato in Philebo.

f Gellius l. 13. c. 8.

g Plut. de educat. lib. & Sympos. l. 9. q. 13.

h Arnob. lib. 3. contra gentes.

Omnis disciplina memoria constat, frustraque docemur si quicquid audimus præterfluat. Quintil. lib. 11. c. 2. *Acquirere & nõ conservare, est aut aquam cribro haurire, aut dolium illud fatale perforatum cum foraminibus adimplere.*

i Plut. de educat. puerorum. Henric. Steph. præfatione maiores Poetas Græcos.

vllam aurigante, & multorum hominum animis occulta illius semina indente. Nam, vt rectè Philoso-
8.c.5. phus, *aliqua nobis videtur esse cum harmonijs & numeris cognatio: quocirca multi sapientes partim animum harmoniam esse dixerunt, partim ex harmoniâ*
De poetica.c.4. *constare.* Et rursus: *elocutioni iam constitutæ, natura ipsa mox proprium adinuenit metrum.* Quid quod versificationis adminiculo possumus *nos ipsos commonefacere mutuò Psalmis et hymnis, et cantionibus spiritualibus, cum gratiâ canentes in cordibus nostris Domino,*
Eph.5.19. Coloss.3.16. vt non semel hortatur Apostolus? Quod cantandi exercitium magnas animo & corpori affert vtilitates: siquidem melancholiam *(Diaboli sedem & balneum)* expellit, spiritus dilatat, asthmati occurrit,
Chrysost. et balbutientem linguam, siue, vt loquitur Scriptu-
Exod.6.30. ra, *præputiata labia* non parum emendat. Denique carminibus inclusa de harmoniâ omnium actionum in vitâ nos admonent, hoc est, vt nobismet ipsis consoni, non à nobis dissidentes simus, optima co-
Iacob.3.11. gitando, pessima faciendo, &, vt loquitur Iacobus, *ex eodem foramine dulcem & amaram aquam fundendo.* Nam numeris astricta lectio signum est concinnæ quietæque in animo affectionis & εὐταξίας, prout testatur vetus & verus versus,

Ouid. trist. l. 1. eleg. 1. et l 5. eleg. 12. *Carmina prouenunt animo deducta sereno.*
——— Carmina lætum
Sunt opus, et pacem mentis habere volunt.

Atque hanc potissimùm ob causam, Iobi, Dauidis ac Salomonis libri elegantissimam Legis Prophetarumque epitomen, totiusque hominis etanimalis et spiritualis explicatam anatomen continentes, pedum vinculis alligati fuerunt, vt præclarè

rè copioſéque docet magno ſuo merito celeberrimus Athanaſius, cui ſuccinit Chryſoſtomus. Athan. Epiſt. ad Marcellinum. Chryſ. in pſal. 42.

XII. AD voluptatem etiam quantũ ſpectat, ea ſatis indicatur notiſſimâ Poëleos cum picturâ collatione: quâ poëſis pictura loquens, et pictura Poëſis muta non abs re appellatur. Nam vt elaboratiſſimis pictorum pigmentis oculus, ſic ingenioſiſſimis Poëtarum figmentis auris mirum in modum recreatur. Quod ipſum ſeriò ſecum expendens magnus ille Eraſmus, in hoc veriſſimum huius artis elogium erupit: *Vera Poëſis nihil aliud eſt, quàm omnium diſciplinarum delicijs ac medullis condita placenta, aut vt melius dicam, ex electiſſimis quibusq; floſculis compoſitum mellificium.* Quam Poëtices amoenitatem per Apis Hieroglyphicum intelligendam eſſe, et ex hiſtoria Platonis patet, et omnium conſenſu receptum eſt. Quippe fatentur omnes, quibus *Inſita pectoribus mens eſt neque ſtulta, nec exors*, non ſolùm animum ipſum oratione numeris aſtrictâ magis quàm ſolutâ excitari, ſed et mentis ſenſum artificioſiſſimis fabularum inuolucris delinitum, ad ſcientiarum cognitionem, quaſi condimento quodã opſonari. Non igitur falſa eſt hæc Poëtarum iactantia; De ratione cõcion. l. 2. Pierius hieroglyph. l. 26. c. 5. Platoni cum in cunis paruulo dormienti apes in labellis conſediſſent, reſpõſum eſt ſingulari illum ſuauitate orationis fore. Cic. de Diuinat. l. 1. Lucret. l. 3.

Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta;
Aurea, perpetuâ ſemper digniſſima vitâ.

XIII. HActenus per ſumma poëticarum laudum faſtigia cucurrimus (neque enim libet aut expedit ſingulas minutias ἐξονυχίζειν vel excutere)

excutere) nunc ad obiectiones in contrariam partem afferri solitas paululùm accedamus. Inter has duæ sunt primariæ multùmque detritæ: quarum alteri ab authoritate Patrum et Platonis sumptæ iam satisfecimus; alterâ à noxio pernicioso; Poëtices abusu depromptam, hoc πολυπείρῳ Scriptoris testimonio diluimus: *Si multi inebriantur vino, non ob id incidendæ vites, vt fecit Lycurgus, sed prouidiùs admouendi fontes: ita si multi abutuntur Poëticâ, non protinus abijcienda est, sed adhibenda cautio vt fiat salutaris.* Etenim si omnia promiscuè et sine delectu respuenda sunt, quibus hominum insscitia vel malicia periculosè abuti solet; quid diuinâ gratiâ Scripturâue fiet, cùm illam tam multi ad lasciuiam transferant, istam verò non pauci suo ipsorum exitio detorqueant? An quia sæpe per oculorum beneficium infertur animæ veneficium, ideò nosmet ipsos cum stulto Democrito exoculabimus? et quæ figuratè sunt accipienda, ea κατὰ τὸ ῥητὸν ac propriè, cum Origene (cæteroquin ob ἀλληγορομανίαν infami) interpretabimur; Imò potiùs de visu, de Poëticâ, de reliquis Dei donis intrepidè dicamus quod Apostolus de Lege pronunciat: *Nouimus Legem esse bonam, si quis eâ legitime vtatur.* Atque hìc locum habent hæc Augustini loca: *Nec propterea pro patriâ non est miles armandus, quia contra patriam nonnulli arma sumserunt, nec ideò vini non debent boni doctique medici ferramentis medicinalibus ad salutem, quia his ad perniciem etiam indocti pessimique abutuntur.* Et alibi: *Falsus testis malè vtitur linguâ, nec ideò malum est lingua: opus est Dei lingua*

Plut. de legendis. poetis, initio.

Iudæ v. 4. 2. Pet. 3. 16. *Mors per fenestras*, id est, *per sensus externos*, vel *per oculos*: vt multi Patres allegorice exponunt locum Ierem. 9. 21.

Contra Crescõ. l. 1. c. 1.

in Ioan. tract. 27.

lingua, sed bono opere Dei malè vtitur illa nequitia. Nimirum improbi sunt Maronis Harpyæ, immundo contactu munda omnia foedantes: et vt olim Cainus aiebat, *quisquis me inuenerit, occidet me:* ita de quouis impio dici potest, *quicquid tractat aut contrectat, ipsum inficit et interficit.* Illi quantæuis corporis animique dotes, nihil aliud sunt quàm Milonis robur admirandum, et auricolor Absalomi cæsaries, quæ funis instar rebelles suos Dominos ad steriles vanitatũ quercus astringunt, et Tartareis tandem supplicijs addicunt. Nam *omnia sunt polluta pollutis.* Ipsis et mensa fit laqueus, et lingua exitium, et oratio aratioque peccatum, et diuitiæ detrimentum, et circumcisio præputium, et ipsemet Christus offendiculum. Tit. 1.15. Psal. 69.23. Prou. 14.3. et 26.9. Prou. 15.8. et 21.27. Prou. 21.4. Eccles. 5.13. Rom. 2.25. Luc. 2.34.

Nil prodest quod non lædere possit idem. *Malus animus omnia in malum vertit, etiam quæ specie optimi venerant.* Quid quod hæc ipsa obiectio essentialem Poëtices excellentiam adeò non obscurat, vt vel maximè illustret et astruat? Nam vt *optimi corruptio est pessima*; sic quorũ abusus exitialis est, eorũdem legitimũ vsũ salubertimũ esse, et Scriptura non obscurè innuit, et rectæ rationis dictam ẽ ostendit. Ouid. trist. l. 2. Sen. epist. 98. Prou. 15.4 et 18.21 Iac. 3.9.

XIV. QVi verò Poëtas vt vitiorum magistros insectantur, eo quòd multa flagitia cõmemorent, perpendere debebant hanc criminationem non magis contra Poëtas militare, quàm aduersus Philosophos, Oratores, ac Historicos; quos tamen propterea vitiorũ scabie legentium animos inficere nemo dixerit: nec modò Lacedæmonios (quâ gente nulla vnquam inter Ethnicos minùs Plutar. de cohibenda ira, et in Apoph. Lacon.

corrupta fuit aut corruptrix) producere solitos fuisse coram liberis temulentum aliquod mancipium, ex cuius indecoris gestibus ac blateramentis ebrietatem odisse discerent? sed etiam gentium Doctorem, aliosque Spiritus Sancti amanuenses detestanda scelera recensere; non sanè vt eadem imitaremur (hoc enim vel cogitare blasphemum esset) sed (quod perquam laudabile est) vt ad nostram vtilitatem aliena insaniâ frueremur. Adde quòd *vt *in mari syrtes sunt et scopuli, ad quos tamen periti nautæ nauem non allidit: sic in Pœtis sunt quædam impie dicta, in quæ pius animus nunquam offendit, sed ea strenuus secure præteruehitur*: vt alicubi sapienter monet Iosephus Scaliger, a *literatorum huius ævi Alpha, nostri sæculi Varro, Musarum* b *Hercules, a filius à Patre magno* c *magnus*,

——— merito cui doctior Orbis
Submissis defert fascibus imperium.

XV. Reliquas Poëromastigũ obiectiones primùm ab eximijs viris neruosissimè confutatas, hìc de industriâ prætermitto, ne potiùs hominem occisum occidere, vel actum agere, quàm Poëticæ et Versificatoriæ satagere videar. Coronidis tantùm vice attexere visum est authoritatem eius neoterici philosophi de medici, qui *patria sua* a *corona*, b *cos ingeniorum, lima Poëtarum*, c *philosophus solo Aristotele minor, nunquàm satis laudatus Latinorum* d *Aristarchus in gloriam et* e *miraculum sui ævi natus*, nec non f *vita eruditionis* appellatur auariarum gentium ac religionum eruditis. Verba illius hæc sunt. *Sapientia non solùm comparatur hus-*

Rom. 1. 1. Cor. 5. Gen. 19. et 38 Iudic. 19. 2. Sam 11. et 13. et 16.
* Ioseph. Scalig. præfat. in Catul. Tibull. Propert.
a Epist. Morton prouocat. protestant. ad Pontificios, Epist. dedicat. ad Regem
b Calaub. præfat. in opuscula Iosephi Scaligeri ad Thuanum, et aduersus Baron pag. 62. Vide et Bezam in matth. 26. 10.
c Lipsius centur. 1. epist. 21. D. Philip. Sydnæo, Henr. Stephano.
a Stafford Niobe in Nilum soluta parte 2.
b Barclaius in duello poëtico.
c Ioan Crato epist. ad Ioseph. Scal. præfixa Iul. Scal. exercitat. ad Cardan.
d Goclenius problemat grammatic. l. 2. problem. 49.
e Lipsius cent. 2. epist. 44. et de pronunciat. linguæ latinæ. c. 7.
f Stafford. Niobe pag. 222. His addes Conringium Biblioth. l. 17.

tis præceptis ex eius philosophiæ fontibus, quibus habe- Iul. Scal. præfat. in lib. poet.
mus ad beatitudinis cursum animi nostri temperantur; verùm etiam tum historiarum, tum Poëtarum lectione: quâ qui damnarunt, agresti atque aspero supercilio bruti homines, ne in hominum quidem censu reponendi sunt.

FINIS.

Plutarchus lib. de audiendis poëtis versus finem.

Quemadmodum apis à naturâ hoc habet, vt ex acerrimis floribus, spinisque asperrimis lenissimum mel optimumque eliciat: sic pueri in poëmatis rectè instituti, etiã ab his quæ absurditatis et prauitatis suspecta sunt, commodi aliquid et vtilitatis trahere discent.

Et paucis interiectis.

Hæc duo præclara consequuntur qui poëtis audiendis assuescunt: puta moderationem, ne cui videlicet fortunam importune stulteue exprobrent: et magnanimitatem, vt aduersis rebus non deiiciantur aut perturbentur, sed æquo animo ferant sannas, conuicia, risus.

Melanchthon præfat. in tres Micylli libros de Re Metricâ.

Cùm Poëtarum cognitio necessaria sit, etiam Metricam diligenter discendam esse iuuenes sciant. Illud quoque velim persuasissimum esse omnibus, quod est verissimum, non posse conseruari facultatem rectè scribendæ solutæ orationis, nisi exercitatio faciendorum versuum conseruetur, propterea quòd versus magis ad imitationem adolescentes assuefacit.

APPENDICVLA

QVATVOR PRÆCIPVIS Græcæ & Latinæ Eccleſiæ columnis ſuffulta.

Baſilius Magnus homil. 24. ad nepotes ſuos de legendis gentilium libris.

POetis, Oratoribus, Hiſtoricis, & omnibus hominibus vtendū, vnde aliqua vtilitas ad animæ curam acceſſura ſit: quandoquidem enim per virtutem ad vitam aternam aſcenditur, virtus autem ipſa multùm à poetis & hiſtoricis, ac multò magis à Philoſophis commendatur, talibus eorum ſermonibus maximè vacandum, tantumque vt ipſâ vitâ quæ commendant exprimatur. ——— non tamen omnia illorum recipiemus, ſed ea tantùm in quibus virtutem laudauerunt & vitium vituperauerunt. Nec enim apes omnibus floribus ſimiliter inſident neque ex eis ad quos accedunt omnia auferre conantur, ſed quantum ipſis ad opus neceſſarium comprehendentes, reliquum dimittunt. Nos igitur vt ſobrij ſapienteſque quantum congruum nobis, propinquumque veritati ex ipſis fuerit perſequamur, reliquum prætereamus: & ſicut in legendis roſis, ſentes vitamus, ſic in talibus ſermonibus quicquid eſt vtile carpentes, noxium vitemus. Turpe enim eſt ea quæ in cibis noxia ſunt

Vbi mel, ibi fel: vbi vber, ibi tuber: qua propter & fella poetica inter mella cauemus, & mella inter fella colligamus. Eſpencæus de legendis gentilium libris.

sunt repellere, in sermonibus verò ac scriptis eorum quæ nostram nutriunt animam, nullam omnino rationem habere, sed more torrentis omne obuium secum trahere.

Nazianzenus Oratione in obitum Basilij.

Illud inter omnes sanæ mentis homines constare arbitror, eruditionem inter humana bona primarium locum tenere: non de hac nostrate solùm ac nobiliore loquor, quæ salutem vnam arctissimè complectitur: sed etiam de externâ quam plerique Christiani prauo quodam iudicio vt periculosam & procul à Deo auertentem repudiant. Non enim ideò aspernari debemus Cœlum, terram, aërem, quia nonnulli ea scelerate acceperunt, Dei opera pro Deo colentes: quin potiùs colligere quicquid eis ad vitam vsumque vitæ commodi inest, quicquid autem periculosum est, fugere: non creaturam aduersus Creatorem, vesanorum hominum more, concitantes, sed ex rebus conditis Conditorem percipientes, intellectumque omnem, vt Apostoli verbis vtar, Christo captiuum submittentes.

Idem ibidem.

Non idcirco contemnenda est eruditio, quòd ita quibusdam videatur: quin potiùs insulsi atque præposteri habendi sunt qui hoc existimant.

Augustinus tomo 3. de Doctrina Christianâ lib. 2. cap. 18.

Propter superstitionem profanorum non debemus Mosicam fugere, Si quid inde vtile ad intelligendas

Eruditio disciplinarum liberalium modestè sanè atque succinctè, & alacriores, & perseuerantiores, et comptiores exhibet amplectenda veritati, vt & aptius appetant, et constantius insequantur, et inhæreant postremo dulcius: August. de Ordine lib. 1 c. 8.

Sanctas Scripturas rapere potuerimus. Neque enim & literas discere non debuimus, quia earum repertorem dicunt esse Mercurium: aut quia institia virtutique Templa dedicarunt, propterea nobis iustitia virtusque fugienda est: imò verò quisquis bonus veruſque Christianus est, Domini sui esse intelligat vbicunque inuenerit veritatem, quam confitens & agnoscens etiam in literis Sacris superstitiosa figmenta repudiet.

Idem ibidem cap. 28.

Quicquid de ordine temporum transactorum indicus ea quæ appellatur historia, plurimùm nos adiuuat ad Sanctos libros intelligendos, etsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur.

Et cap. 40.

Philosophi qui vocantur, si qua fortè vera & fidei nostræ accommoda dixerunt, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam iniustis possessoribus in vsum nostrum vindicanda. Sicut enim Ægyptij non solùm idola habebant & onera grauia, quæ populus Israël detestaretur & fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro & argento & vestem quæ ille populus exiens de Ægypto, sibi potiùs tanquam ad vsum melioris clanculum vindicauit: sic doctrinæ omnes gentilium non solùm simulata & superstitiosa figmenta, grauesque Sarcinas superuacanei laboris habent, quæ vnusquisque nostrum debet abominari atque deuitare: sed etiam liberales disciplinas vsui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtilissima continent, quæ ali-

bet

bet ab eis auferre Christianus ad vsum iustum prædicandi Euangelij. Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Cyprianus, Lactantius, Victorinus, Optatus, Hilarius: vt de viuis taceam.

Item. cap. 42.

Scientia collecta de libris gentilium vtilis est, si diuinarum Scripturarum scientiæ comparetur.

Hieronymus Consolat. ad Pammachium tomo 1.

Si adamaueris captiuam mulierem, id est sapientiam Deut. 21.
seculærem, & eius pulchritudine captus fueris: decalua illam, & illecebras crinium atque ornamenta verborum cum emortuis vnguibus seca: laua illam prophetali nitro & tunc requiescens cum illa dicito; Sinistra eius sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me, & multos tibi fœtus captiua dabit, ac de Moabitide efficietur Israëlitis. Cant. 2. 6. & 8. 3.

Idem initio Comment. in Danielem tom. 5.

Si cunctos Philosophorum reuoluas libros, necesse est vt in eis reperias aliquam partem vasorum Dei, quæ intelligenda sunt dogmata veritatis.

NEque verò vel à seipso dissidet Hieronymus, quum ait, *Quid Aristoteli & Paulo? Quid Platoni & Petro?* Item: *Quid facit cum Psalterio Horatius?* Tom. 2. aduersus Pelag. l. 1. ante medium.

Epist. 22. ad Eustochium.

ratius? cum Euangelijs Maro? cum Apostolis Cicero? Vel his quatuor Patribus aduersatur, ijsdem antiquior Tertullianus sic scribens: *Quid adeò simile Philosophus & Christianus, Graciæ discipulus & Cœli? famæ negotiator & vitæ? verborum & factorum operator? veritatis interpolator & integrator? furator eius & custos?* Et alibi: *Quid Athenis & Hierosolymis? quid Academiæ & Ecclesiæ? quid hæreticis & Christianis? nostra institutio de Porticu Salomonis est.* Item: *Quid cæco duci inniteris, si vides? Quid vestiris à nudo, si Christum induisti? Quid alieno vteris clypeo, si ab Apostolo armatus es?* Quæ sententiæ si apud authores ipsos probè inspiciantur, solutionem secum afferunt apertissimam. Nam priorem illam Hieronymi de probandis apud fideles controuersis fidei capitibus agere, patet ex his verbis proximè eam præcedentibus; *Hæc argumentatio tortuosa est, Ecclesiasticam simplicitatem inter Philosophorum spinetum concludens:* posteriora autem eiusdem verba, cùm ad virginem solius ac solidæ pietatis sitientem scripta sint, nihil aliud probant quàm quod nos libentissimè concedimus: non expedire videlicet quosuis ac singulos Christianos gentilium libris incumbere, tanto interuallo à Scriptura relictis:

Nam quanquam sapor est ablatâ dulcis in undâ,
Gratiùs ex ipso fonte bibuntur aquæ:
Et magis adducta pomum decet arbore ramo,
Quam de ablatâ sumere lance iuuat.

De Præscript. aduers. hæret. c. 7.

Apolog. c. 46.

De Resurrect. carnis cap. 3.

οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων legenda sunt gentilium scripta. Vide Picum Mirandul. de studio diuinæ & humanæ Philosophiæ l. 2. Ouid. de Ponto l. 3. eleg. 5. & Mart. l. 9. epigr. 102.

Tertulliani verò prius testimonium collationem duntaxat instituit inter doctrinam Christianorum

&

& disciplinas Ethnicorum, ostenditque istas illi tantum cedere quantum purissimo limpidissimoque fonti riuuli non illimes: nam ibidem scribit *diuinam literaturam thesaurum fuisse posteriori cuique sapientiæ.* Et paulò ante: *Mimicè Philosophi affectant veritatem, & affectando corrumpunt, vt qui gloriam captant.* Quin & capite sequenti subijcit: *Quis poëtarum, quis sophistarum, qui non omnino de Prophetarum fonte potauerit? inde igitur Philosophi sitim ingenij sui rigauerunt*: Posteriorum autem locorum circumstantiæ omnes demonstrant ea ad res morales gentiliũ cordibus inscriptas extendi non debere, sed ad fidei mysteria humanæ rationis acumine imperuestigabilia restringi: in quorum apud fideles confirmatione (nam ad illustrationem & amplificationem adhiberi possunt) tritum illud poëtæ

——— *Procul hinc, procul este profani*

Obtineat, vigeat, placeat, laudetur, ametur, per omnes sanos licet: *num enim aliundè loqui possent de rebus fidei, nisi ex literis fidei?* Non iudicant pecudes de rebus humanis: non iudicat animalis homo de rebus diuinis.

Tertul. de præscript. c. 15.

Sed neque a Concilij Carthaginensis quarti Canon decimus sextus nobis officit rectè intellectus. Non enim vult vt Episcopus priùs non legerit, aut pridem lectos in sanctum vsum non transferat, sed *vt non legat* (nempe tanquam ἔργον) *Gentilium libros*:

a Concil. 4. Carthag. 70. Episcoporum anno 398. sic decernit Canone decimo sexto. *Vt Episcopus Gentilium libros non legat, hæreticorum autem pro necessitate & tempore.* Quo Canone Episcopos à gentilium librorum non tam priuata lectione, quàm publica prælectione arceri colligit Gratianus ex Gregorio, Desiderium quendam Galliæ Episcopum obiurgante quod populo suo grammaticam pro Euangelio exponeret. Gregor. lib. 9. epist. 48. Gratian. distinct. 37. cap. 9 *Turbat.* & dist. 86. cap. 6. *Cum multi.* Quam Gratiani expositionem approbare videtur Espencæus, tractatu de legendis Gentilium libris.

qui præparare quidem ingenium debent, sed non detinere. Nam [b] *rudimenta sunt, non opera; nec debemus ista discere, sed didicisse.* Nec verisimile est sæcularium literarum vsum simpliciter & absolutè vetitum fuisse Episcopis in eo Contentu, cui Augustinus tantus earum encomiastes & patronus, tantoque in honore semper habitus Episcopus interfuit & suffragatus est. Vnde [c] Cassiodorus centum annis Augustino minor: *Nec illud*, inquit, *Patres Sanctissimi decreuerunt, vt sæcularium literarum studia respuantur, quia non exinde minimum ad Sacras Scripturas intelligendas sensus noster instruitur.* Et expressius ante Cassiodorum [d] Socrates historicus: *Quid attinet de his sermonem longius producere? Nam constat Doctores Ecclesiæ, velut ex [e] consuetudine quadam minimè prohibita ad extremam vsque [f] senectutem in gentilium disciplinis se exercuisse: idque partim diserti sermonis & mentis exercendæ gratia, partim vt eos ipsos Scriptores doctrinæ, in quâ tradenda lapsi sunt, penitùs conuincerent.* Quâ priori de causâ Chrysostomum illum [g] referunt quotidianâ lectione Aristophanis Comici, vel cùm dormitum iret, impendiò delectatum.

A quatuor illis præcitatis Patribus hilum hîc non discrepant [a] Irenæus, [b] Iustinus, [c] Clemens Alexandrinus, [d] Theodoretus, [e] Ambrosius, [f] Primasius, [g] Damascenus. Atque huic Sanctorum Patrum sententiæ subscribunt, & calculum suum adijciunt minimè degeneres filij, [h] Iuëllus, [i] Martyr, [k] Bucerus, [l] Calvinus, [m] Musculus, [n] Aretius, [o] Danæus, [p] Pis-

[b] Seneca epist. 88.
[c] Diuinarũ Lectionũ ca. 28.
[d] Lib. 3. c. 14.
[e] Ἐκ τινος ἰδίας μὴ κεκωλυμένης συνηθείας.
[f] Vide quæso Puteani Orationem 9. quæ inscribitur *Belgica Iuuentutis Laudatio*, ad finem.
[g] Sigism. Gelenius præfat. in Aristoph. ad Philip. Melãcht.
[a] lib. 4. c 14.
[b] Apolog. 1.
[c] Strom. l. 1. & 5.
[d] Dialog. 3. & de curat. Græc. affect. l. 1. ad fin.
[e] De fide. l. 3. ca. 1.
[f] Præfat. comment. in Apocal.
[g] Orthod. fid. l. 4 c. 18.
[h] Concione Anglica in Ioh. 6 vers. 1, 2, 3.
[i] In 1. Reg. 5.
[k] In Psal. 1. 6. in Matth. 11. 30. & in Ioan. 4 38.
[l] In 1. Cor. 1. 17. & 15. 33. in Tit. 1. 12. Instit. l. 2. c. 1. sect. 15. & 16.
[m] In 1. Cor. 15. 33.
[n] Problem. Theolog. Loco 150.
[o] In 1. Tim. 3. 2.
[p] In Act. 17. 28. & in 1. Cor. 15. 33.

catos,

cator, q Pareus, alijque non pauci maiorum gentium Theologi: qui omnes hac in re vnius sunt labij, vno ore affirmantes r *non dedecere Doctorem Ecclesiæ ex profanis quoque authoribus interdum sententias citare quæ ad propositum faciant: dummodò id fiat absque ostentatione eruditionis, & in eâ re teneatur modus*: modò diuersorium peregrinis & extraneis non ita repleatur, vt nullus Christo & Apostolis locus relinquatur.

q In 1. Cor. 15. 33.

r Piscat. in. Tit. 1. 12.

FINIS.